[illegible] THEOLOGICA

[illegible] Super negotio Pacis Eccle[illegible] pro-
[illegible] exhibita [illegible]
[illegible] Facultati [illegible]
[illegible]

JOHANNE DURÆO *Ecclesiaste Scoto-Britanno.*

John Dury

Cui adiuncta

Propositio de quærenda Concordia
Principis, Conventui Holmensi ab eodem
oblata, nec non ejusdem ad Synodos
Belgicas Epistola.

LONDINI,
[illegible] G. M. pro *Andrea Crooke*, ad insigne viridis Draconis in Cœmiterio D. *Pauli*, M. DC. XLI.

PROPOSITIO

Reverendæ Facultati Theologicæ in Academia Vpſalienſi *exhibita.*

Clariſſimi Admodum Venerandi, Doctiſſimiq; Viri.

CUm nullum Evangelij ſcopo accommodatius, nullum vitæ Chriſtianæ utilius, nullum Miniſterij Profeſſioni conjunctius, nullum divinæ voluntati acceptabilius, nullum deniq; Chriſti atq; Apoſtolorum Præcepto aut exemplo commendabilius officium, in Evangelio, in Vitâ Chriſtiana & in Miniſterio Verbi, quam eſt ſtudium Chriſtianæ in mutua ædificatione Charitatis ad fraternam in Veritate cœleſti unitatem conſervandam: mirari neminem oportet, quid cauſæ ſit, cur hoc afflicto Eccleſiarum Dei ſtatu pleriq; omnes pij in Eccleſijs Evangelicis Theologi Pacis Eccleſiaſticæ Conſilia ſeriò ſibi agitanda ſuſcipiant, atq; alios ad eaſdem cogitationes ſecum fovendas in timore Domini invitent. Certè ut credibile non eſt, quenquam patienti animo laturum ut in ſe quiſquam contentionis periculoſæ culpam diſſidijq; funeſtiſſimi reatum conjiciat; ita certò certius eſt, neminem veri Chriſtiani nedum Præconis Evangelici nomine dignum eſſe, qui noluerit ſe pacis Evangelicæq; Charitatis in Veritate ſtudioſum profi-

fiteri: Ergò cùm scopo concordiæ adversarium fore neminem in Ecclesijs Evangelicis verisimile esset, facilem fraternæ reconciliationis inter Evangelicos promovendæ viam iniri posse judicarunt aliquot pacis juxta ac Veritatis amantes Theologi, si illud tantùm in hâc causâ procuranda ad usum Ecclesiarum publicum presse transferretur, quod alendæ Sanctorum inter omnes Christianos Communioni mandatum reliquit Apostolus, quo jubet quoslibet fideles sese invicem observare atq; acuere ad Charitatem & bona opera. Debita huic Apostolico Præcepto obedientia peperit ab aliquo tempore in quorundam animis Sanctæ provocationis studium ad disquirenda primò inter se Pacis Ecclesiasticæ Consilia, deinde ad alios eadem proponenda. Quia autem hoc seriò & in timore Dei ab hisce susceptum fuit, ideò facilè horum institutum ad alios omnes paulatim promanavit: Et hoc præsertim fine, ut quod æquo jure omnes concernit, id omnium consentientibus suffragijs aliquando promoveatur. Cumq; mihi partim meo quodam erga hanc causam peculiari affectu, partim aliorum tam in Magnæ Britanniæ quam alibi degentium Virorum, quibus omnem honoris debeo respectum instanti Stratu & consilio, partim deniq; Superiorum meorum permissu & συνευδοκίᾳ, hoc officij obtigerit, ut me Ἐργάτην in hac causa præstarem: non potui laborem hactenus in rogandis publico Ecclesiæ commodo Theologorum suffragijs passim erga alios susceptum deponere, priusquam Vobis quoq; (Reverendi, Doctissimiq; Viri) præclaris hujusce Ecclesiæ Luminibus communia pie Doctorum in alijs locis vota studiaq; proposuissem: ne scilicet vos in causa communi solos à me neglectos fuisse graviter ferretis, quod vel in tàm laudabili instituto juvando res tàm ardua subsidio donorum à DEO Vobis ad publicam ædificationem concessorum fraudaretur, vel quod Vestræ Pietati atq; charitati sese exerendæ, atq; in conspectu Ecclesiarum Evangelicarum contestandæ ansa singularis præcepta videre-

videretur. Ne igitur aut ego meo hâc in parte officio, aut Vestro in Ecclesia merito desim, rogare jam atq; obtestari per Zelum Pietatis Vestræ me decet vos, quos præ alijs in hoc Regno publica Religionis cura tangit, quos Zelus Domus Dei æquè ac alios haud dubiè sollicitos habet, quos contritio Josephi, ut par est, affligit, ne dedigneminí hasce cogitationes in animum demittere Vestrum. Vestraq; Consilia, quibus lu tuoso Evangelicorum Schismati salutare remedium ex verbo DEI sanctum adhiberi posse judicabitis in timore Dei aperire: ut tandem collatis in unum Pacificis piè Doctorum Symbolis intelligatur quid adhuc spei sit reliquum in reædificandis dirutæ Hierosolymæ muris, & abolendis quæ ex Evangelicorum luctuoso Schismate pullularunt Scandalis. Quis etenim cuj non dico pietatis, sed vel humanitatis saltem sensus aliqualis supereſt, non deploret tot vastatas Ecclesias, tot desolatas Regiones, tot afflictas hostili persecutione animas, tot seductas ignarâ superstitione mentes, tot fluctuantes perplexâ dubitatione Conscientias, quæ huic tantum Schismati suam debent calamitatem? Quis Euangelij tanto tempore retardatum hoc solo suffiamine cursum; quis permotum nostri seculi dividijs Satanicæ confusionis Regnum non defleat? Hæc si animum Dei timentem, hæc si viscera Christiani pectoris afficere debeant, fieri profectò non potest, ut quisquam bona coram Deo conscientia præditus Theologus, hoc Theologici super hâc re commercij officium spirituale omnino detrectet præsertim quando legitima via, sine omni præjudicio, & in conspectu DEI idipsum per Theologos, uti decet, à Theologis flagitatur. Aliorum enim exemplis in Evangelio nos, siquidem cordati sumus Evangelistæ, ad ἀγάπας παροξυσμὸν, quasi solemni cooperariorum invitatione, atq; sociorum acclamatione excitare oportet. Si igitur vel DEI Optimi Maximi Reverentiâ, vel rei ipsius præstantia, vel temporum necessitas, vel muneris suj Conscientia, vel proborum exemplum, vel publica vota ac desideria aliquid efficere

possunt, ad Ecclesiasticæ Reconciliationis studia Piorum affectibus commendanda, spero hunc quem adhibere aggressus sum erga Reverendas Dignitates Vestras ingenuæ in charitate provocationis conatum non inanem fore, sed brevi consentaneum Pacificorum in sancta communione desiderijs fructum allaturum. Hoc ut fiat, quemadmodum Principem Pacis Dominum nostrum JESUM CHRISTUM venerari me decet, ut ad obsequium voluntatis suæ omnium hominum corda interventu Ministerij Evangelici flectere velit, ita propensionis Vestræ in hoc scopo juvando inclinatæ documentum aliquod exspectare mihi liceat, quo constare possit ijs (multi autem illi sunt) ad quorum ædificationem hoc spectare poterit, quod non solum Vestræ Reverendæ Dignitates hæc omninò consilia una cum alijs fovere imposterum paratæ sint: sed etiam quid sive in hisce præparationibus ulterius hîc vel alibi producendis sive in ipso opere tandem ad umbilicum perducendo observatu factuq; utilissimum esse judicatis. Hoc si pro affectu Pietatis, accuratoq; Prudentiæ Vestræ judicio declarare volueritis, obstringetis me, ut debito tempore aliorum de tota re judicia, consiliaq; quæ mihi passim communicata fuêre, vestræ cognitioni censenda proponam. Quod libenter conscio Magistratu hujus Regni supremo dehinc facturus sum. Vos interea, Eximij Viri, pro humanitate vestra singulari hanc institutæ sollicitationis parrhesiam in optimam partem, tanquam ab animo Vestri honoris studioso profectam accipite, meq; æstimate eum, qui sincero in facie JESU CHRISTI affectu fieri cupit.

Reverendarum Dignitatum Vestrarum

Upsaliæ, Septem. 1636.

Humilis in opere Evangelico.
Servus
Johannes Duræus.
Ecclesiastes Brittannus.

CONSVLTATIO THEOLOGICA SVPER NEgotio Pacis, &c.

DE propenſo, Eximij, Reverendiq; Viri, erga Pacis Eccleſiaſticæ deliberationes, affectu veſtro, & Eccleſijs Evangelicis & mihi ipſi plurimùm gratulor: præſertim hoc nomine quòd vos idoneos operi tam neceſſario promovendo Authores & cooperarios benigniſſimus Deus tam opportuno tempore admoverit. Ergo quoniam ita res fert, liceat mihi, hujus cauſæ, indigno licèt, Procuratori veſtrâ uti operâ, anſamq; præbere Rev. Dign. Veſtris, magis diſtinctas cogitationes, hujc ſcopo neceſſarias, preſſiùs apud ſe fovendi, ut ſuo tempore illas in medium aliquando proferre, aut interea mihi vel alijs pro re nata eaſdem utiliter communicare queatis. *Præfatio.* *agit de.*

Si quod igitur in ſuadendo Eccleſijs Germanicis Evangelico conſenſu ſalutare conſilium ſuggerendum eſt, id videtur ex Sapientiæ ſpiritualis quatuor *Conſultationis.*

fontibus, quasi ex Edene ad irrigandum DEI hortum emissi fluvij quatuor alveis, depromendum esse. Sapientia autem spiritualis imprimis Veritatem cœlestem; in Veritate *bonam Conscientiam*; propter Veritatem atq; bonam Conscientiam, erga proximum *Charitatem*, & cum *Charitate Prudentiam* atq; circumspectionem rationi consentaneam sibi habet commendatam. Etenim ex Veritatis Cœlestis Principijs ad Intellectum applicatis, *Scientia*; ex bonæ Conscientiæ motibus in Spiritu excitatis, *Tranquillitas mentis & Lætitia*; ex Charitatis affectibus erga proximum susceptis *Innocentia* & *mutua animorum in Spiritu Concordiæ ad veram ædificationem coalitio*; & ex prudentiæ cautionibus ad executionem rerum agendarum sedulò adhibitis, *Successus & Prosperitas* per DEI gratiam redundabit.

Quatuor conditionibus.

Tractandiq; Viâ.

In recludendis igitur, pro mensura gratiæ mihi à DEO concessæ, hisce quatuor consiliorum fontibus ad inquirendam verè inter Evangelicos Reconciliationis viam, ne quicquam aut mihi arrogare aut alijs præscribere velle videar, proponam gravissimo judicio vestro Problematica illa de quibus præcipuè deliberandum videtur.

Et Scopo.

Scopus itaq; consultationis nostræ erit de viâ, quâ divulsæ odijs & disputationibus Scholasticis per Germaniam Ecclesiæ, ad Spiritûs unitatem in Veritate cœlesti reduci possunt. Et hoc quidem jam in prioribus deliberationibus, nisi fallor, unanimiter statuimus, meliorem certioremq; viam ad hanc rem non esse, quam ut in *eandem confessionem fidei fundamentalem*, partes hactenus digladiantes utrinq; consentiant. Verùm, ut id fiat, hoc opus, hic labor est. Neq; profectò tot objectis difficultatum mollibus, quid ijs in commune suadendum sit, cuiquam in proclivi est proferre.

Adquem requiritur Confessio Fidei Fundamentalis.

De qua deliberatio quadripartita.

Nam, primò, Quid statuemus omnino esse confessionem fundamentalem? Secun-

Secundò, quando jam fundamentalia agnovimus dogmata, Quomodo confeſſionem ex ijs confectam reddemus?

Tertiò, quomodo factam confeſſionem ab omnibus approbatam atque receptam eſſe jubebimus?

Quartò deniq;, Quâ ratione in eâ confeſſione jam receptâ ratam atq; confirmatam eſſ: poſſe concordiam, inter tot Evangelicos, ſub tot diverſis Principibus degentes demonſtrabimus? Ne ſcilicet nova deinceps diſſidiorum ſemina vel ex ipſis fundamentalibus vel non fundamentalibus dogmatum capitibus ſuccreſcant.

Qui nodos hoſce ſolutu faciles eſſe judicaverit, næ ille aut ſibi multùm, aut alijs nihil omnino rerum humànarum divinarumq; intelligens eſſe videtur: Sed tamen ſuperandis hiſce, & in noſtro & aliorum Intellectu, difficultatibus, DEI Opt. Max. in Jeſu Chriſto ſalvatore noſtro, qui mundum ſibi in noſtrâ naturâ ſubjectum & noſtri cauſâ reddidit, Spiritus par erit: Si modò nos ejus gratiæ confidentes ipſius promiſſionibus noſtro officio atque afflictarum Eccleſiarum ſolatio (in precibus affectuoſè fundendis & conſilijs ab ejus ore requirendis) deeſſe non velimus. Nam ſi mihi hoc loco brevem fidei erga Deum meæ confeſſionem edere expedit: Credo equidem atq; confiteor Salvatorem humani generis Perſonarum acceptorem non eſſe: Sed omnes animas ſibi [coram Patre ſuo, quoad ſeipſas] æquales, & illas præ alijs ſibi à Patre commendatas & charas habere, quas ſui maximè abnegantes & paternæ in omnibus Voluntati deditiſſimas eſſe in hoc mundo invenit. Si itaq; tales ex animo nos coram illo præſtare ſtudeamus; Sciò ac certò perſuaſus ſum ab ejus Spiritu, manum ejus, quæ quondam maxima Eccleſiæ ſuæ vulnera minimis ſæpe, contraq; hominum ex-

Et difficilis ſed tamen ſuperanda.

Fide in Deum.

pectationem adhibitis, inſtrumentis ſanavit, hodieq; reſtrictam erga nos non fore. Sed veſtrâ, præ multis alijs (in mundo ſcilicet ſplendidioribus) ad hanc rem conficiendam operâ uti velle; ſi, quæ Vobis & Veſtro hunc in uſum Magiſtratui, Scientiæ, Authoritatis Prudentiæq; talenta contulit, ea conſtanti zelo, & puro ab humanis reſpectibus affectu, tum erga rem ipſam conſultando, tum erga Perſonas cauſæ promovendæ aptas ſuadendo non ſegniter impendatis: Et ut hujus beneficij publico præſtandi legitima vobis anſa ſuppetat, habebitis me, ut ſervum deſiderijs veſtris obſequentem, ita cauſæ ſollicitatorem apud voſmet, & ſi vultis, veſtro etiam nomine apud alios, non ſegnem neq; infidelem. Poſtquam enim hanc in me à tanto tempore ſuſcepi Provinciam, *Hoc agere*, & Parrheſiam in rogandis Theologorum ſuffragijs adhibere decrevi. Certum enim eſt, negocium confici non poſſe, niſi præcipuis Eccleſiarum utriuſq; Partis Luminibus ſuffragantibus conſilia conſtanter, ad impedimenta quæ occurrunt tollenda, conferentibus & amicæ familiaritatis atq; charitatis ſubinde radios, erga ſeſe invicem, ad Pacis oſculum quaſi è longinquo offerendum, emittentibus. Quod quidem inſtitutum quia hacteous ferventibus Partium ſtudijs fuit à pleriſq; neglectum, aut non ſatis accuratè ſuſceptum: Ideò in immenſum excreverunt opinionum diverſitates, ex opinionum diverſitatibus controverſiæ, ex controverſijs, refutandi potius quam docendi animo ſuſceptis, odia: ex odijs, injuriæ & opprobria; ex opprobrijs mutuis, hoſtilis animus; ex hoſtilitate, ſcandala ſimplicibus, gaudia Evangelij hoſtibus lamenta Pacificis oborta ſunt: Inde DEI nomen & ſacroſanctum ejus Evangelium noſtri cauſâ profanis impiorum blaſphemijs fuit expoſitum. Atq; hinc eſt quòd jam provocata Divini Numinis indignatio,

Diligentiâ in opere.

Et Suffragiorum collatione.

Quæ neglecta Schiſma concilcarunt.

Et DEI *iram.*

ob

ob corruptum ab humanis affectibus Pacis ſuæ Evangelium, de corruptoribus vindictam, deq; omnibus tantæ corruptionis fautoribus meritiſſimas pœnas capere velle, niſi reſipiſcant, videatur. Eâ de cauſa jam pias animas inceſſit deſiderium ſeſe ab æſtu tanti furoris maturè ſubtrahendi: Atq; eo fine, excuſſo veterno Conſilia Theologica vobiſcum & cum alijs, ſuper remedijs tanto malorum cumulo adhibendis, communicare parati erunt; ut cum pace ſpirituali refrigerium Divina clementia & tranquillitatem aliquando civilem Eccleſiæ ſuæ largiatur. Hoc ſc. fine & horum Pacisconſultorum nomine Vos ego acceſſi: & tam illorum quam meo; vel potius DEI, cauſæ Evangelicæ & afflictorum fratrum nomine rogare, benignéq; à Vobis contendere debeo; ut de hiſce conſiliorum, quæ indigitare conſtitui, momentis, ſententiam in timore DEI præconcipere veſtram, & ſuo loco eam proferre non detrectetis.

Quam pij evitare ſtudent.

Præfationis Concluſio.

Nunc itaq; cum bono DEO accedamus ad propoſitos in hac materiâ ſcrupulos, ut conatum ſaltem qualemcunq; in ijs enodandis exſeramus: Ac initio quidem ſi de condendâ fundamentali Confeſſione cogitandum nobis eſt, duo diſquirenda videntur.

Tractatio agit de Fundamentis Fidei.

Primò, Quænam & quot ſint illa fidei capita, quæ cognitu ad ſalutem abſolutè neceſſaria cenſenda ſunt cuilibet fideli?

Secundò, Quâ viâ progrediendum ut confectam ex ijs Capitibus confeſſionem habeamus?

De Priori Membro, in quo de Numero Articulorum fundamentalium definiendo agitur, ita forſan differere licebit: Si in fidei fundamento quam requirimus confeſſionem ſperare aliquando oportet, eam neceſſe eſt ex indubitatis & ab utraq; parte receptis Veritatis principijs depromamus.

Eruendis ex principijs.

Veri-

Veritatis autem indubitatæ, quæ huc ſervire poterunt principia forſan ad duo Capita referri poſſunt: quorum alterum eſt de Sacra Scriptura: alterum eſt de Fœdere DEI cum homine.

Sacræ Scripturæ.

De Sacra Scriptura hæc indubitata ſunt Veritatis Principia: Primò, quòd S. Scriptum ſit Veritas DEI infallibilis. Secundò, quòd ſit unica fidei vitæq; ad ſalutem ſufficiens norma. Tertiò, quòd clara ſit in rebus ad ſalutarem inſtructionem neceſſarijs. Quartò, quòd perfectum contineat fœderis inter Deum atque homines ſalvifici tenorem.

Et Fœderis.

De Fœdere quoq; hæc utrinq; ſunt in confeſſo principia: Primò, quòd æternæ vitæ cenſendi ſint hæredes indubitati, quotquot in fœdere ſalvifico ſunt & in eo perſiſtunt. Secundò, quòd omnes illi qui agnóſcunt ex DEI verbo, fœderis ſalvifici tenorem, agnitum fœdus fide amplectuntur, amplexum bonâ conſcientiâ conſervant, & converſatum coram alijs confitentur, in illo fœdere eſſe cenſendi ſunt. Tertiò, quòd unicum fœderis, inter DEUM atq; homines, ſalvifici fundamentum atq; complementum ſit JESUS Chriſtus, verus DEVS atq; homo, DEI atq; hominum Mediator, mortuus, reſuſcitatus, ad dextram DEI ſedens, & venturus ad Judicium ſecundùm S. Scripturas, fide apprehendendus, extra quem nulla ſalus eſt.

Jam verò pios in Eccleſiâ Viros, qui in hiſce principijs ſincerè concordes ſunt, hactenus in eâdem confeſſione fundamentali non coaluiſſe omnino ſtupendum eſt: certè coaleſcere poſſe (ſi modo velint) mihi extra dubium eſt.

Per Quæſtiones quæ innuãt.

Vt igitur & hæc res manifeſta fiat, & ſimul attentè conſideranti occaſio detur de fundamentalibus ad ſalutem ſcitu neceſſarijs dogmatibus apud animum ſuum aliquid definiendi nonnullas, ex principijs

cipijs hiſce deductas, queſtiones ad deliberandum proponemus. *Primò* igitur quærere liceat,

1. An DEVS aliquid à nobis ad ſalutem obtinendam neceſſariò requirat, præter fœderis ſui fidelem in Chriſto apprehenſionem atque obſervationem?

Si nihil præter hoc requirit, tum quæratur *Secundo loco*,

2. Annon illud fœdus perfectè ex claris & indubitatis S. Scripturæ locis proponi poſſit? Si poteſt, (uti ex utrinq; conceſſis de S. Scriptura Hypotheſibus fateri neceſſe eſt) tum quæratur *tertio loco*,

Fundamentalia eſſe definita.

3. Annon ergo clara de fœdere DEI collecta ex ſacro textu omnia loca definitum Articulorum Fidei fundamentalium numerum ſuppeditabunt?

Illa inveniri.

Spero neminem hoc loco ignorare quid reſpondendum ſit: Sed quoniam ex hoc fonte plures ad ſitim noſtram reſtinguendam aquas haurire licet, pergamus ad alias quæſtiones. Quæritur itaq;,

4. An definitus ille locorum S. Scripturæ clarorum numerus in quo fœderis DEI tenor perfectè continetur & proponitur, inventu ſit valdè difficilis vel impoſſibilis, nec ne? Si non eſt; Tum (ne quid utriq; parti exprobrare videamur) non quæremus, cur hactenus vel non quæſitus vel non propoſitus fuit? aut ſi quæſitus & propoſitus fuit, cur in eo partes non acquieverint? Sed hoc quæremus,

Apprehendi.

5. An ille qui locos illos ſine ſubtili ſpeculatione fide ſimplici pro menſura intelligentiæ ſibi à DEO conceſſæ apprehendit, atq; in eâ apprehenſione acquieſcens animum ad fœderis percepti tenorem obſervandum ſeriò & conſtanter applicat, deficiat in aliquâ parte cognitionis aut praxeos ad ſalutem neceſſariò requiſitæ? Si non deficiat, tum conſiderandum videtur,

Et retineri posse per bonam conscientiam.

6. An aliud quicquam ipsi necessarium sit ad constantem in tenore fœdoris perseverantiam, quàm ut acceptum fœderis in fide depositum conservet, sibi ipsi in bonâ conscientiâ & coram alijs id ipsum ad DEI gloriam confiteatur? Si præter hæc nihil ad perseverantiam requiritur, tum forsan abs re non fuerit, dispicere porrò, quid necessarium scitu sit ad bonam conscientiam conservandam, & ad confessionem fœderis DEO honorificam edendam?

ejusq; requisita.

De Scientiâ bonæ conscientiæ conservandæ necessariâ, forsan hoc statuere licebit, illam perfectè totam in studio Sanctitatis & Charitatis contineri. Namq; in duplici perfectione hâc, omnem per quam ab hoc mundo separemur & Patri in Christo uniamur, proprietatem existere verisimile est. Quemadmodum enim tota DEI gloria, vel ipsi in seipso competit, quatenus scilicet in sese Sanctus S. S. est, vel ipsi erga creaturas suas competit, quatenus scil. erga illas bonus est in immensa sua charitate; ita tota nostra perfectio, per quam in regenito statu illum referre possumus in hâc vitâ, videtur absolvi in eo, quod nos ipsos in studio perfectæ sanctitatis ab omni impuritate corporis & spiritûs indesinenter repurgemus, & in eo quod erga alios in Spiritu Charitatis, omnia, quæ ipsis bona esse agnoscimus, sedulò procuremus. Quæ igitur, ad hasce duas in animo vitaq; externa virtutes perficiendas, scitu planè necessaria sunt, illa omnia fœderis tenore fundamentaliter connexa esse videntur: Quoniam sine ijs fœdus agnitum observari non posse intelligimus. Etenim quicunque aut charitatis aut Sanctitatis studium negligit, facilimè bonam Conscientiam amittit; qui autem bonam conscientiam amittit, nisi resipiscat, fidei naufragium facit, & qui fidei naufragium facit, etiam fœderis salvifici salutarem cognitionem de-

per-

perdit: quippe horum unum alteri eſſentialiter cohæret in regenito ſpiritu, ita ut reipſâ adeſſe aut abeſſe in animo nullum ex hiſce queat, ſine reliquorum omnium conſervatione vel interitu. Atq; ita ex hocce fœderis obſervandi fonte, aditum nobis patefactum eſſe putamus, ad alia in hoc genere deliberationum momenta piè doctorum cogitationibus objicienda. *De quibus quæritur.*

7. Quærimus igitur ſeptimò, An qui verè novit Charitatis & Sanctitatis præcepta, aut illa ignorans ſedulò in verbo DEI exquirit, atq; ea quæ invenit aut agnovit, ſincero conatu ſecundùm fœderis tenorem obſervare ſtudet, in fundamentalem, qui fœderis ſcientiam evertat, errorem cadere, aut in illo perſeverare poſſit? Si forſan incidere equidem non tamen in errore perſiſtere poteſt. *An ijs præditus à Fundamento aberrare poteſt.* *Et hac occaſione*

8. Quærendum videtur octavo loco. An error aliquis fundamentum ſalutis ſubvertere queat, qui non per ſe, vel per extinctum ſinceræ charitatis & ſanctitatis affectum, ſimplicis animæ fidem in Chriſto ſecundùm federis ſalvifici tenorem apprehendendo labefactet? *De errore Fundamentali. Quis ſit?*

Si nullus error fundamentum ſalutis evertere cenſendus eſt, qui non ita animum afficit, inquirere forſan expedit, quouſq; ferendus in tali errore aliquis ſit, & quid & quomodo ut ab errore illo revocetur, agendum? Sed ſi error aliquis licet hoc in uno non efficiat, id in alio tamen efficere poſſe judicatur: Tum diſpiciendum foret. *Quouſq; ferendus*

9. Quâ viâ cum illo, ſi omnino errori ſuo nuntium mittere nequeat, inſiſtendum ſit, ne periculoſum dogma ulteriùs ſerpat? Vtrum ſcil. erranti fraternitas ſtatim ſit abjudicanda, an verò potius ad ſilentium de ſuâ opinione ſibi ipſi imperandum legitimâ ratione ſit adducendus? Si hoc potius *Quomodo corrigendus?*

Charitati conſentaneum eſt, tum quærere ulteriùs oportet,

In Membro obſtinato.

10. An ſi ille, qui errorem fovet, adduci non poſſit, ut hâc in parte fratrum voluntati & judicio ſeſe ſubmittat, non eo ipſo, quòd non velit & quidem præfractè plurium fratrum conſilio obtemperare, violatæ pacis, bonæq; conſcientiæ reus manifeſtò peragi poſſit & debeat poſt iteratas monitiones cenſuræ ſubjici, ideò ſolùm, quòd duobus expreſſis mandatis inobediens factus eſt: Vno, quo jubentur Spiritus Prophetarum Prophetis eſſe ſubjecti, quod nititur humilitatis fundamento, quo jubemur alios præferre nobis ipſis: Altero, quo jubentur fideles ſtudere, ut conſervent unitatem Spiritûs in uinculo pacis: Id eſt in eodem ſenſu, Sermone & actionibus, ſecundum eandem normam mutuo conſenſu ad mutuam ædificationem inſtitutis. Et ſi in tali caſu quo de dogmate aliquo diverſæ oriuntur ſententiæ, res tota ſemper huc perduci poſſit, legitimo judicij ſpiritualis proceſſu, ut qui novitatem in doctrinâ proponit aliorum judicio periculoſam, ad expreſſi cujuſdam mandati divini præfractam tranſgreſſionem adigi poſſit, niſi velit errorem deponere: tum diſpiciendum ulteriùs fuerit,

1 Cor 14.32.
Phil.2.3.
Eph 4.3.
1 Cor.1 10.
Phil 3.16

11. An non omnis error, præſertim verò qui periculo manifeſto conjunctus eſt, ſemper poſſit ex animo verè regenito tolli, vel in eo ſupprimi, ne alijs ſaltem noceat, per ipſa fœderis eſſentialia dogmata & per præcepta charitatis & ſanctitatis manifeſta? Aut ſi non poſſit per hæc fœderis fundamentalia, erranti in mentem, cum Spiritu lenitatis & charitatis, revocata principia, neq; penitus tolli, neq; ſilentio ſupprimi, Annon tum manifeſtè colligendum ſit, eum qui hac ratione errat in fœdere DEI non eſſe: ideò quòd apparere non poſſit illum vel fœdus DEI intelligere

re

re, vel ſi illud intelligit, obſervate humili, in vinculo pacis, animo, velle: Atque ita fraternitate fidelium indignum ac Deo judicl relinquendum eſſe.

Jam ſi de errantibus in doctrinâ & bonam ſimul Conſcientiam, propter obſtinatum erroris patrocinium amittentibus, hæc ita ſtatuenda ſunt: Inveſtigandum reſtabit, quid de ijs cogitandum erit, qui forſan in ſeipſis quidem periculoſè errant, attamen errorem quem conceperunt & deponere nequeunt, non proſeminant, neq; pertinaci animo defendunt, ſed ſilentio ſeſe continere non renuunt,

12. An ſcilicet, ſi conſtet nobis, aut, ex charitatis judicio, conſtare debeat, illos eodem, quo nos, fidei affectu, fœdus gratiæ conſtanter apprehendere & obſervare ſtudere, non debeamus in illis ſalvâ charitate errorem ferre, donec DEUS aliter eis Veritatem ſalutarem revelaverit? Idq; ex praxi & doctrinâ Apoſtoli, *Phil.* 3. 15, 16. Nam, qui æquè ac nos, DEO, ac proinde & nobis in DEO, confœderati cenſendi ſunt, etiamſi graviſſimâ periculoſæ tentationis afflictione ad tempus laborent, non ideo fraternitatis dextram illis denegare oportet: hoc enim foret ægrotis fratribus ideò quia ægrotant, remedij anſam præcidere, ſed potius eò magis in charitatis viſceribus fovendi ſunt, ne jam ſcientiæ ſalutari quadam luce deſtituti, etiam *Conſcientiæ* integritatem atq; juſtitiam, ab errore & affectu obcæcati, violent. Et ſi hoc inter privata ejuſdem Eccleſiæ membra locum habere debeat, ut ſibi invicem non deſint in auxilijs hoc pacto ſuppeditandis, ex ſanctâ Spiritûs communione quæri poteſt,

Et Flexibili.

13. De Cætibus Eccleſiarum ſeparatis, propter ſingulares Doctorum opiniones; An, ſcilicet, ad publicam perfectamq; fraternitatis Evangelicæ profeſſionem

Hinc ne diſjidij inter Evangelicos remedijs.

fessionem inter ipsos conciliandam atq; confirmandam, aliud requiratur, quàm ut planè plenèque expressus inter ipsos in fœdere DEI consensus ineatur. Et ut Canones Ecclesiastici mutuâ compromissione, coram DEO, ab omni parte approbati, recipiantur, ad vitæ, in excolendo observandoq; fœdere, rationes in mutuâ ædificatione futuro tempore unanimiter componendas? Jam verò si hæc duo hunc in finem & *fieri possint* ab Evangelicis & *sufficiant* ad perfectam concordiam, ultimo tandem loco quærendum est,

Ab omnibus promovendis.

14. An etiam non fieri omnino *debeant?* Et an ulli, qui sinceram conservare volunt hodie coram DEO & hominibus in fœdere Evangelico excolendo conscientiam, hoc luctuoso Ecclesiæ statu animum ab hoc instituto reconciliationis hâc viâ procurando, aut manum subtrahere ab opere sine gravi reatu queant? Præsertim quando demonstrari possunt, ijs quibus hæc consilia cordi fuerint evidentissimæ & per DEI gratiam infallibiles rei perficiendæ rationes? Si ergo per conscientiam nemini qui manum huic aratro admovit retrospicere liceat, tum ut in fovendis hisce studijs quilibet, qui illa suscipit, se præbeat constantem, & alios, ad ea secum fovenda, excitet in timore DEI orandus est. Namq; si hoc fecerit, tum illud quod fœderi observando connexum erat, postremo loco, officium de fœdere DEI coram hominibus (per confessionem DEO honorificam de illo editam) promulgando & stabiliendo hac occasione præstabit, & suam hâc in parte animam liberabit; DEO autem gloriosa maximè ea fidei confessio putanda videtur, quæ puram veritatem in corde nostro revelatam ita profert, ut testimonium de eâ nostrum aliorum captui in charitate ad pietatem in ijs perficiendam sit prudenter contemperatum & accomodatum. Quæ enim captum eorum quibuscum

De confessione edendâ.

cum agimus ſuperare putanda ſunt, aut quæ pietatis affectum in ijs minimè producere poſſe intelligimus, illa licet in ſe forſan vera fuerint, profiteri tamen & tali loco proferre non expedit. Attamen ſi, ab hoſtibus Evangelij, vim fundamentali aut ſalutari veritati afferri, aut fœderis tenorem in animis ſimpliciorum labefactari ab errore ſuſcepto animadvertimus, tacendum non eſt, ſed miti animo ac pio affectu teſtimonium Veritati perhibendum eſt, ne ſilentio noſtro ſalutarem animæ ſcientiam prodamus: hoc enim caſu corde quidem creditur ad *juſtitiam*, ſed ore fit confeſſio ad ſalutem, *Rom.*10.

Hactenus de abſolutè neceſſarijs.

Hactenus igitur actum eſt de Dogmatum capitibus ad ſalutem ſcitu *neceſſarijs*, ex fœderis tenore erundis.

Sequitur de aliis dogmatis.

Nunc ex eadem ſcaturigine. (quippe inexhauſtam habet profunditatem) conemur haurire principia, quibus de omni alio Dogmate Indicium fieri poſſit, ut non ſolum quid abſolutè neceſſarium, ſed etiam quid quolibet gradu *utile* vel *inutile* ſit, æſtimare queamus. Hic ergo ſupponimus iterum, quod in confeſſo eſt, fundamentalia omnia fœderi eſſe eſſentialiter connexa & fœderis ipſius fundamentum eſſe Jeſum Chriſtum pro nobis mortuum & reſuſcitatum. Hoc ſi ita eſt, videmur dogmatis cujuſlibet valorem ad Lydium hunc Lapidem poſſe ſine magnâ difficultate explorare: Si perpendamus in genere.

examinandis quæ ſalutaria.

1. An ullum dogma *ſalutare* putandum ſit, quod ſimplicem credentis animum per fœderis pacta non ducat directè ad Chriſtum, per ſe crucifixum & à mortuis reſuſcitatum, apprehendendum? Si enim ſe nihil præter Chriſtum, eumq; crucifixum ſcire & Corinthijs ſuis annuntiâſſe prædicavit Apoſtolus videtur quoq; extra dubium eſſe, nullum dogma ab eo traditum fuiſſe, quod non ad Chriſtum cruci-

crucifixum rectâ perduceret animum.

Deinde in ſpecie, quia fundamentalibus reliqua, ut trunco rami, certâ proportione cohærent, quid ſi & hoc perpenderetur à doctis.

Diſtinguendùs in 5 gradus ſcilicet in Neceſſaria.

2. Annon à neceſſarijs ſalutifera, à Salutiferis utilia, ab Utilibus Curioſa, à curioſis Damnoſa certâ & notabili proprietate dignoſci & invicem manifeſtò diſtingui queant, maximo ad controverſias finiendas compendio.

Vocanda autem illa Neceſſaria mihi videntur, ſine quorum cognitione (licèt ſimplici, attamen diſtinctâ atq; expreſſâ) Chriſtus in fœdere ad ſalutem à Patre nobis traditus agnoſci & conſtanter retineri per fidem ſecundùm S. Scripturas omninò non poteſt: Et è contra, quibus cognitis illud mediante fide fieri poſſe certum eſt. Hæc ergo talia ſunt, in quibus anima verè regenita non ſolùm nullo loco & tempore à quoquam contradictionem in ſilentio & ſine horrore admittere poteſt aut debet: ſed etiam quæ conſtanter, ubiq; & apud omnes proponere & urgere tenetur: & ſi poſt ſufficientem illorum declarationem ſit, qui ea non admittat, ille pro fratre non eſt agnoſcendus. Si autem illis contradicens, aliam præterea doctrinam afferat, ei *ave*, dicere non licebit.

Salutifera.

Salutifera verò vocari poſſunt, meo quidem judicio, illa dogmata, quorum diſtincta quidem expreſſaq; cognitio *valde fructuoſa eſt* ad fœderis tenorem plenius agnoſcendum, & firmiore fide retinendum: Sed tamen *non talis eſt* ut ſine illis, hâc vel illa formula loquendi præciſè receptis, Chriſtus in fœdere à ſimplici animâ apprehendi nequeat: Atq; ideo & in hiſce anima vere regenita non ſolùm omni loco & tempore teſtimonium perhibere tenetur veritati, ſi contradicentem inveniat; ſed etiam illa tenetur dogmata ſeduló omnibus quos in fœdere eſſe novit, inculcare. Ita tamen, ne quenquam

ſive

ſive in hiſce, ſive in ipſis neceſſarijs ad aliquid fatendum præfractè urgeat, ultra id quod in ſacris literis diſertè revelatum eſt; & quod ultrò à qualibet animâ ſimplici ex textûs verbis ſecundùm analogiam fœderis percipi poteſt. Namq; inter neceſſaria & ſalutifera dogmata, hæc videtur ponenda diſtinctio, quòd ſicut Neceſſaria expreſſis fœderis pactis ſunt eſſentialiter comprehenſa, ita ſalutifera per immediatam conſequentiam ex pactis fluunt. Ergo omnia ſalutifera in ipſis pactis quaſi in principijs ſuis occultè latent & ex ijs ab intelligente facilè deduci poſſunt.

Utilia deinde dogmata forſan illa fuerint omnia quæ per bonam conſequentiam unam atq; alteram ex ſalutiferis deduci poſſunt, & ad directionem animæ fidelis DEIq; obſervantis in pietate & exercitio bonorum totius vitæ operum ſerviunt. Talia ſunt omnia totius S. Scripturæ dogmata, Apoſtolo teſte, 2 *Tim.* 3. 16, 17. De hiſce debito loco & tempore teſtimonium in Spiritu diſcretionis eſt fideli perhibendum. Craſſam in hiſce contradictionem difficulter ferre poteſt anima verè regenita: nihil tamen urget præter auditoris captum; & ferre poteſt & debet, ſine manifeſtâ impietate diſſentientes: Verbis etiam Sacræ Scripturæ non tenetur preciſè ſemet vel alios adſtringere ſed & ſentiendi & loquendi diverſimodè libertas admittenda in hiſce, omniaq; examinanda ſecundùm Analogiam fidei in dogmatis neceſſarijs & ſalutiferis, ſiquid dubij occurrat, fundatis. *Utilia.*

Curioſa deniq; dogmata illa putamus eſſe, in quibus ultra id quod ſcriptum eſt, attamen ex occaſione ejus quod ſcriptum eſt, humanæ rationis adminiculo, mortales ſapere volunt, in rebus quas DEUS occultavit. Et quoniam in hiſce *Curioſa.*

hactenus plus æquo disceptatum fuit, ideò perijt *utilium* & multorum *salutiferorum* exacta cognitio, ipsaq; methodus hanc cognitionem ex sacro contextu eruendi (per Analysin scilicet Demonstrativam) vel interijt, vel non fuit adhibita à præcipuis Doctoribus, qui Scholasticis contradictionibus operam impenderunt.

Damnosa. *Damnosa* tandem, Dogmata illa esse judicamus, vel quæ de materiâ Theologicâ pronuntiant ita, ut id quod dicitur nullo modo in Scripturis, ne per consequentiam quidem fundamento nitatur, vel quæ contra manifesta ejus dicta prolata esse videãtur, vel quæ ex detortâ secundum carnis sensum S. Scripturæ phrasi aliquâ elicitur ad libertatem licentiamq; humanis affectibus contra conscientiæ dictamina luctantibus, pariendam. Hæc, scil. Spiritûs S. motûs in animâ verè regenita extinguunt; hæc intellectum in rebus spiritualibus offuscant: Hæc Gangrænæ instar exedunt sanas vitæ regenitæ partes: ijs ergo apertè resistendum est. Hosce dogmatum gradûs si quis jam voluerit notabili aliqua proprietate ex ipso fœderis tenore desumta inter se distinguere, forsan dijudicandum erit tertio loco.

Dignoscendi ex proprietate notabili in necessarijs salutiferis

3. Annon ex respectu quem ad fœderis tenorem cujuslibet dogmatis subjectum habet de Prædicati ejusdem valore fieri possit æstimatio? Atq; ita fortassis, dogmata *necessaria* vocare licebit illa, quorum subjectum est res quæpiam in ipsis fœderis pactis à DEO comprehensa.

Salutifera vocare licebit illa, quorum subjectum res est, non quidem in ipsis pactis expressa: Sed tamen talis quæ pertinet tanquam medium aliquod valde utile ad pacti illius in animo conceptionem & confirmationem: vel existit tanquam effectum infallibile & tanquam proprium quid consequens aut concomitans pacti in animo confirmati veritatem.

Et

Et tales res omnes putamus esse, novæ creaturæ in animo per fœdus efformandæ instrumenta propria, aut efformatæ membra virtutesq; ac facultates membrorum vitales, sine quibus vel internè vel externè dignosci & percipi nō potest ipsa animæ regeneratio.

Utilium,

Utilia denicq; dogmata vocare oportebit, omnia illa, quorum subjecta res sunt quæ regeniti statûs actionibus, in totâ vita requisitis, connexæ sunt, non quidem semper & necessariò, sed tamen sæpe & maximâ ex parte. Et tales res esse putamus omnes circumstantias conuersationis Christianæ inter homines, in quibus aliqua conformitas inter fidelem & Christum existit.

Curiosi et damnosi.

Hisce dogmatum capitibus rectè agnitis, facilis erit ratio in *curiosis* & *noxijs* discernendis. Quodlibet enim dogma, quod neq; ad fœderis pactum, neq; ad fœderis in regenito statu efficaciam & virtutem promovendam & manifestendam: neq; ad conversationis aut actionum, regenerationi aliquâ ex parte cohærentium, conformitatem cum imagine Christi perficiendam directè faciunt, illa pro rei gravitate, *curiosa* vel *damnosa*, majori vel minori gradu censenda sunt.

Conclusio excusat.

Videtis, *Reverendi, Doctissimiq; Viri*, quò me consultationis impetus, Vestræ promtitudinis sinceræ exemplo, quasi secundo vento incitatus protulerit. Nanoq; initio, ut verum fatear, neq; tot, neq; talia proponere mihi in animo fuit, sed tantum nuda quædam Problemata consignare constitueram, de Viâ, quâ in hoc negotio ad publicam aliquando tractationem deveniendum foret: Sed nescio quo-

Tractationis modum.

modo (spero tamen non præter rem) in hæc Theologica defixus animus, sensim relictâ priori illâ cogitatione, ad hanc diffusam de Fundamentalibus capitibus consultationem prolapsus est: sive id jam rei tractandæ series, sive animi mei propensitas, rebus purè Theologicis magis addicta, quam mixtis,

effecit; sive Concordiæ Evangelicæ genius quidam, qui hunc unicum, difficultatum reliquarum in hâc causâ cardinem, extra omnem dubitationem solidè constitutum esse vult, antequam ad alia deveniatur, eò me pertraxit; certè ita accidit ut impræsentiarum neq; aliud proferre aut cogitare, neq; ab hisce proferendis calamum temperare potuerim. Illa quæ de publicæ tractationis modo dicenda erunt, hisce determinatis haud dubiè faciliùs procedent. Et quia res illa merè Theologica non est, quid nocet illam ad tempus intermittere? Donec ea quæ mentibus dissidentium doctorum & conscientijs infirmiorum aut errantium pacandis accommodata sunt, præconcipiantur, & ex invictis indubitatæ veritatis principijs evidenter concludantur. Forsan alia ista deliberatio fæliciùs procedit, si consultatores etiam Politicos admiserit.

Rem submittit judicandam.

Cæterùm, in hisce, quousq; viam ad præcipuum nodum solvendum præstruxerim, aut dum illum solvere volui, plures solutu æquè difficiles accumulaverim, vestro judicio definiendum relinquo. Confido itaq; Vos pro singulari Eruditione & Pietate in hâc re, Vestrâ, quæ desunt, suppleturos; quæ modum excedunt, circumciſuros; quæ errata sunt, correcturos; & quæ sunt rata, confirmaturos. Si enim de hoc omnium Fundamentalium quæstionum Fundamento, ut sic dicam, fundatissimo, consensus in Thesi poterit inveniri, clarus, plenus, & perfectus, non est dubium quin ubi ad Hypothesin, eâ, quâ convenit ratione, deventum fuerit, facilis futura sit dogmatum fundamentalium, de quibus à plerisque controvertitur, a non fundamentalibus distinctio. Atq; ea semel distinctio verè agnita, normam suppeditabit Veritatis in reliquis dijudicandæ. Ego quoties de fundamentalibus Pontificiorum Pelagi-

Et digreditur de Socinianis.

bianorum & Socinianorum erroribus ex indubitatis Christianæ fidei principijs, fundamentali viâ revincendis, cogitare soleo, sicut aliquando facio, non possum animo meo satisfacere meliùs, quàm si ad fœderis tenorem in regeniti statùs apprehensione, dogmata illorum revocem: tum demum video quàm sint & carnalia & noxia & falsa humani cerebri commenta. Fateor antiquitatis primævæ consensum, ex Vincentij Lirinensis commonitione æstimatum non esse negligendum apud homines aliquâ modestiâ & Patrum reverentiâ præditos: Sed apud Socinianos, quos orbis tandem Christianus experietur, fidei Salutiferæ hostes periculosissimos, contemptui habetur Antiquitatis Authoritas. Ergo ad ulteriora principia, si cum illis congredi velimus, assurgendum est. Admittunt quidem sacras Scripturas Controversiarum Judices, sed ab Analogiâ fidei & Analysi textûs, spiritualem fœderis sententiam & fidei intelligentiam rejiciunt, ut tantùm ex humanæ rationis modulo secundùm literalem textûs apprehensionem omnia metiantur. Quid cum talibus agendum sit, fateor me non videre, nisi possimus & Analysin textûs in Spiritu demonstrativam, rationi tamen non repugnantem, & Analogiam fidei, alio quàm naturali nixam fundamento, quod tamen ipsi negare non poterunt, proferre. Atq; ita principijs si non ijsdem, saltem homogeneis, pro veritate fœderis certando, illorum ratiocinationes evertere & captivas ducere illorum cogitationes ad obediendum Christo in Spiritu & Veritate. Hoc autem ut fiat, ipse Christus secundùm Fœderis tenorem in campum educendus & statuendus in lapidem angularem, in lapidem probationis, in fundamentum fundatissimum, ut disponatur deinde Judicium ad lineam & Justitia ad perpendiculum, & ut excernat grando re-

ceptaculum fallaciarum, sicut futurum promittit, *Esa. cap. 28.*

Sed iterum delabor ad illa, quæ mihi non proposueram. Vos hæc quæso, excusate, &, si quæ alia sint, in hac præcipiti, propter temporis, qua concludor, angustiam, festinatione, minùs accuratè dicta, in meliorem partem illa accipite: Et Ecclesiam DEI hoc ultimo seculo tot hostibus obsessam, tot calamitatibus afflictam, tot periculis expositam, sicut facitis, & precibus, & consilijs & doctrinâ & laboribus constanter juvate, unanimiter defendite & in Veritate Fœderis æterni fortiter confirmate. Ita Divina Vobis adsit, Vos regat & conservet Gratia.

Valete ab eo qui est impensè

Reverendarum Dign. Vrum obsequijs addictus,
Johannes Duræus
Ecclesiastes Britannus.

Scriptum Upsaliæ in ædibus Claudij Eden 17bris. An. 1636.

Copia

Copia Propositionis de quærendæ Concordiæ Principijs, oblatæ conventui Holmensi à Joh. Duræo.

SI stabilis in tenore Fidei Concordia futura est, ex vestrâ sententiâ, communem Fidei inter concordes confessionem esse oportet, ad Concordiæ Symbolum. Jam verò condendæ confessionis communis *tria* sunt *principia*, ab omnibus sine dubio Evangelicis vel approbata, vel non improbanda.

Primum est *Ipsa Scriptura sacra.*

Alterum est Consensus Ecclesiæ Primitivæ in Orthodoxis Symbolis.

Tertium est Confessionum, ab ipsis Evangelicis hoc ultimo seculo editarum, Harmonia.

Ex primo Principio, ego semper cum Theologis Germaniæ, condendam esse Confessionem suasimus.

Ex secundo Principio, *Ecclesia Britannica & Hybernici Præsules* consensum iniri suadent, & facilè eò adduci possent, si cum illis agatur, ut Dissidiorum compositionem ex Ecclesiæ Primitivæ universali consensu instituendam doceant.

Ex tertio Principio, ante 56. annos confecta fuit *Confessionum Harmonia.* Etenim Anno 1581. editus fuit eo titulo liber, nomine Ecclesiarum Gallicarum atq; Belgicarum ad consensum Fidei in tenore confessionum cum alijs Evangelicis contestandum.

Ex

Ex hiſce tollendorum diſſidiorum Principijs, quodnam potiſſimùm ſit eligendum, ego ſingulari prudentiæ atq; pietati veſtræ determinandum relinquo.

Certum quidem eſt, particulares *confeſſiones* in præcipuis & fundamentalibus conſentire, ſed dubium forſan erit, an illæ poſſint nobis præbere fundamentum conſcientijs ſatisfactorium, ad decidendas illas controverſias, quæ exortæ ſunt inter Evangelicos, ab eo tempore, ex quo confectæ fuerunt.

Deinde extra dubium eſt, quod non poſſunt eſſe nobis, qui ſacras Scripturas tantùm infallibiles agnoſcimus, Fidei abſoluta Regula.

Quod ad Symbola Antiquæ Eccleſiæ attinet, illa ab omnibus Chriſtianis, (præter Socinianos) unanimiter equidem recepta ſunt, ſed neq; illa videntur ſatis accommoda ad controverſias novas hoc ſeculo exortas, determinandas, nec poſſunt eſſe nobis abſoluta Fidei Regula, cùm illa non aliâ de cauſâ recipiamus, quàm ideò, quòd ex Sacrâ Scripturâ illorum veritatem agnoſcamus.

Quid ſi igitur tria hæc Concordiæ Chriſtianæ Principia in unum compingamus? ita ut præſuppoſitis Primitivæ Eccleſiæ Symbolis, tanquam fundamento Generali, ijs ſuperſtruamus, ex ſolâ ſacrâ Scripturâ, Specialiorem Fidei Confeſſionem, quæ complectatur magis diſtinctè omniâ ſcitu factuq; ad ſalutem neceſſaria cuilibet Chriſtiano Dogmata; quæq; ſimul ad componendas omnes ſeculi poſterioris Controverſias accommodetur? Cui tandem confeſſioni Appendix Harmonica ex omnium Eccleſiarum Confeſſionibus ſubnecti poteſt, ad demonſtrandum in illis Eccleſijs approbatam eſſe communi conſenſu Fidei ſalutaris veritatem? Jam verò ſi Symbola antiqua reſpiciamus, hæc illa ſunt, quæ præ alijs videntur ſpectan-

ctanda: Apoſtolicum, quod eſt univerſale; Nicenum & Athanaſianum contra Arrium; Epheſinum primum contra Neſtorium; Conſtantinopolitanum contra Macedonium; Chalcedonenſe contra Eutychem; Milevitanum & Auraſicanum contra Pelagianos.

Deinde ſi Confeſſiones Eccleſiarum, quas diverſæ Nationes, eodem Spiritu actæ, ad fidem hoc ſeculo Evangelicam à corruptelis Papiſticis liberandam, approbarunt, reſpiciamus.

Prima fuit Auguſtana Confeſſio, Carolo V. exhibita, & eo ipſo anno & ſequenti Wittebergæ edita. 1. 1530.

Secunda Confeſſio fuit eidem Imperatori exhibita, nomine quatuor civitatum, Argentinæ, Conſtantiæ, Memmingæ & Lindaviæ. 2.

Baſilienſis fuit ab Argentinenſibus & Mylhuſianis approbata. 3. 1532.

Helvetica prior, quæ ad Wirtembergenſem Theologorum conventum fuit perlata, per Dn. Bucerum & Capitonem & rurſus conventui Smalcaldico anno ſequenti cum declaratione propoſita, & à Toto Conventu approbata. 4. 1536.

Saxonica à Philippo conſcripta nomine Saxonicarum Eccleſiarum, ut Synodo Tridentinæ traderetur, cui tam Saxonicæ, quam Miſnicæ, atq; aliæ multæ Eccleſiæ tanquam repetitæ Auguſtanæ confeſſioni ſubſcripſerunt. 5. 1551.

Wirtemberg. confeſſio, quæ fuit Synodo Tridentinæ oblata. 6. 1552.

Gallica fuit exhibita Franciſco II. Deinde Caralo IX, 1561. 7. 1559.

Anglica fuit in Synodo Nationali approbata, & deinde repetita, Anno 1604. 8. 1562.

Helvetica poſterior à Tigurinis Paſtoribus fuit conſcripta, ſed à multis alijs Nationibus approbata. 9. 1566.

10. Belgica, quæ fuit deinceps Anno 1579. in Synodo illarum Ecclesiarum confirmata.

11. 1572. Bohemica postremi ex prioribus repetita, & dilucidius edita & ab Academia Wittembergensi publicè Testimonio approbata.

12. 1581. Scotica à Rege d. *Martij* 2do. signata & publicè ab illis deinceps recepta. Ex hisce confessionibus inter se collatis, Consensus in Evangelicâ veritate dignosci potest. Attamen si ad controversias Evangelicorum, quas longo tempore inter sese agitârunt, componendas, ille consensus non sufficerit, Scripturarum authoritas, per Analysin Demonstrativam & confessionem ab omni parte fundamentalem, superveniens, idipsum poterit efficere.

EXEMPLAR EPIstolæ IOHANNIS DURÆI AD SYNODOS BELGICAS.

SI in fide Christianâ, Reverendi in Christo Antistites, communionem sanctorum, non in verbis, sed virtute Spiritus, non in nuda professione, sed officio charitatis, collocamus: Ecclesias Dei omnes ubiq; locorum etiam intervallis disjunctas unum corpus esse ipso facto comprobabimus. hoc fieri debere ipsa, cœtus vestri, Patres, Synodica institutio, forma, finis, ordo, usus per se demonstrat, non id societatis humanæ Politica lex postulat, sed est Dei Opt. Max. institutum. Unus Dominus & Redemptor, unus Deus & Pater omnium, & in omnibus, unum Baptisma, una fides, una spes & vocatio omnium, unus spiritus in omnibus, unum corpus necessariò requirunt, neq; corporis hujus membra separatim aliqua DEUS complere voluit; sed omnia simul. Ideò prioris ætatis homines noluit seorsim à nobis sequuturis perfici, Apostolo teste ad *Hebr.* 11. 40. Prophetæ non sibi, sed nobis mysteriorum revelationes acceperunt tradiderunt. Oeconomia donorum, Ecclesiæ membris conecessorum id ipsum flagitat. Hinc passim urgetur,

ut illa invicem commune bonum procurent, ut dolore & gaudio mutuo afficiantur, ut ſibi invicem ſerviant per charitatem; ut alij aliorum onera perferant; ut quotidie ſeſe invicem hortentur, admoneant & provocent ad charitatis παροξυσμὸν, & bona opera. Inde patet alendæ ſpiritualis inter Eccleſias communionis neceſſitas, unde mutua ædificatio. Neq; reatu ſchiſmatis liberari poſſunt, qui hanc curam negligunt. Nam ſi DEVS ideo contemperavit membra inter ſe, quo mutuam ſubirent curam, ne ſchiſma in ijs oriatur, certè ſchiſma facit, qui hanc curam omnino poſthabet: ſed & DEI gloriam non promovet, imò impedit, qui ſpiritus unitatem pro virili conſervare in Eccleſijs non ſatagit. Etenim cum nullâ re magis aliâ Dei gloria huic mundo pateſiat, quam ſi intelligatur, Chriſtum à Patre miſſum eſſe; neq; id aliâ ratione aliâ magis perſpicuum fiat, quam ſi omnia Eccleſiæ membra unum ſint inter ſe, prout Chriſtus in Patre, & Pater in Chriſto unum ſunt. Negari profectò non poteſt, quin ille ſit gloriæ hujus hoſtis & contemptor, qui unitatis rationes ex profeſſo non procurat, non confirmat: qui hac in re cum Chriſto non eſt, illi eſt contrarius. Videtis igitur quam gravi reatu coram Deo teneatur, qui unitatem corporis Eccleſiæ non quærit; ſed quoquo modo negligit: Quantò magis ille qui Eccleſias diſtractas, diſſidentes, ſciſſas ſociare & conjungere non ſtudet: præſertim tum cum id ab ipſo peculiari ſtudio, rogatu, hortatu aliorum expetitur, flagitatur. Mihi ergo neceſſum fuit, Patres, hanc à mea conſcientia culpam amoliri. Provocatus fui graviſſimis autoribus, ut ſtudium meum, hac in parte, Deo & Eccleſiæ probarem. Detrectare conatum non auſus fui ego, licet inter tot Eccleſiarum lumina minimus, nullius nominis,

minis, rem tantam initio, privato ſtudio privatus egi precibus apud Deum, hortatu apud homines. Conſiliarios Pacis & fautores quæſivi idoneos, & faventes inveni, primò in Boruſſiâ ante annos quinq; plus minus, deinde in Britannia & Hybernia: tum lapſu temporis in Germania publico magis conatu inter homines utriuſq; tam Lutheranæ quam Reformatæ partis, primi nominis Theologos, Eccleſias, Academias, apud Eccleſias deniq; remotiores Gallicam, Helveticam, Sedanenſem, Genevenſem & Tranſylvanicam idem poſtulavi. Confirmârunt omnes affectum, approbârunt ſcopum, ſtudium, conatum meum; obtulerunt ſcriptis communi nomine literis conjunctas operas, preces, conſiliorum communicationes, & quicquid ex uſu erit, ubi res ad Concordiæ tractatum pervenerit. Eò rem perducere legitimis autoribus, per Germaniæ ſcil. Principes, tentavi; Labor iſte non fuit irritus in Domino. Namq; ut videtis ex adjuncto apographo ex Germanico Latinè facto, Decretum in Comitijs Francofurti habitis ſuper ea re factum eſt, cujus Autographum chirographis legatorum à Principibus eò miſſorum ſignatum mihi ad manus eſt. Vos ſoli inter omnes reformatos reſtabatis Belgæ, quorum conſenſus in hoc ſcopo approbando & promovendo ad hunc requirebatur. Date igitur veniam petituro, nihil præſcribam; ſiquis precibus in timore Dei, in cauſa Dei, in nomine Dei oblatis, apud vos ſervos Dei locus eſt, is mihi relinquatur. Itaq; ſi qua conſolatio eſt in Chriſto; ſi quod ſolatium charitatis; ſiquæ communio ſpiritus; ſi quæ viſcera & miſerationes; explete non tam meum quam Fratrum veſtrorum præſertim in Germania afflictorum gaudium: ut in hac re cum Eccleſijs Dei reliquis idem ſapiatis, eandem charitatem habeatis, unanimes &

ſententijs unì ſitis: ne veſtra tantum ſpectare, ſed etiam ea quæ ſunt aliorum, ſit ille jam in vobis affectus, qui fuit in Chriſto Jeſu, qui relucet in alijs qui quondam non fuit alienus ab hiſce Eccleſijs. Confirmate & roborate manus Irenicorum in Domino. Scopum mihi hactenus in Germania verſanti propoſitum videtis, illum ſi in conſpectu Dei, ut vobis offertur, ſine præjudicio approbaveritis, ſi conſentientis ſtudij in hac cauſa veſtri teſtimonium, pro prudentiâ, pietate & zelo charitatis veſtræ, ſicut alij fecerunt, perhibueritis. Si palam feceritis vos hunc conatum non averſari: Vos in hæc vota propendere, rem Deo gratiſſimam & Eccleſijs utiliſſimam feceritis. Liceat mihi ex ore veſtro id apud illos, quorum hoc ſcire intereſt, proferre, aſſeverare, & documento aliquo confirmare. Cauſa hæc communis eſt illorum, qui Romani Pontificis jugum excuſſerunt; Spectat igitur imprimis & ad veſtram cognitionem & veſtram requirit operam. Veritatis cauſa eſt, cauſa eſt Pietatis: At veritati quæ eſt ſecundùm pietatem, tenentur omnes illi, qui illam agnoverunt, perhibere teſtimonium. Niſi hoc oblatâ (non dicam arreptâ) occaſione fecerint, *veritatem* haud dubie in injuſtitia, *Pietatem* in obſcuro detinent, atq; ita *charitatem, utriuſq;* profluvium exſtinguunt. Nunquam à charitatis ſinu receſſit veritas, neq; hujus lux illius calore unquam deſtituitur; &, ſi palmam de hoſtibus Evangelij reportat invicta veritas, non alio curru triumphali ſublimis tollitur, non alio axe circumvehitur, quam affectu charitatis; non alio ornatu inſignis eſt, non alio ſplendore relucet, quam Pietatis in Deum & Charitatis in homines amicta radijs, quibus oculos intuentium ad ſe pertrahit, detinet, colluſtrat, delectat. In conſtanti charitatis profeſſione Veritas ſchiſmatis reatum diluit

luit & culpam discordiæ in autores rejecit; ab hac orthodoxos vel invitis calumniatoribus, liberari æquum est. Id hoc conatu coram Deo, Angelis & hominibus tam hujus ævi, quàm posteris fieri poterit. Neq; aliud hoc instituto agitur, quàm ut innocentiam nostram & ἀθωότητα, prodentes, eos qui per injuriam nos schismatis redarguunt, falsi convictos arguamus, ut vel nos fratres, vel seipsos contentiosos agnoscant, vel vulneris remedium admittant, vel omnis excusationis prætextu in posterum careant. Novum hoc non est, sed illud ipsum quod summis vitiis inde ab initio Reformationis fuit propositum, Calvino, Bezæ, Zwinglio, Bucero, ipsi Luthero, Melanchthoni, Paræo, Ecclesijs Polonicis, Helvetijcis, Palatinis, vestris etiam Belgicis. Testis est Epistola Ecclesiarum vestrarum nomine, Anno 1579, ad autores Concordiæ Bergensis transmissa. Nihil ergo novi requiro; Attamen quia novo conatu antiquum studium suscipitur, quia pressiori methodo urgetur, quia majoribus auspicijs & pluribus quàm unquam ante hac autoribus, tempore magis opportuno, necessitate magis exigente & spe magis evidenti renovatur; hinc mihi oborta fiducia vos compellandi. Si tentari sinceritatem, & probari genium charitatis vestræ hoc postulato sentitis, me non respicite; nihil enim sum. Causæ commodum, aliorum exemplum, occasionis momentum, observantia pietati vestræ à me debita hoc effecerunt. Nefas enim duxi, vobis solis inconsultis, hoc negotium ulterius tractare. Nullam in hoc obeundo munere authoritatem, nullam ab ullo homine missionem præ me fero; neq; tamen extraordinariam à Deo vocationem mihi tribuo, sed quod simili occasione vestram quilibet facturus esset, id facio provocatus ab alijs,

alios

alios vicissim & nunc vos [illegible] charitatis παροξυσμὸν, & boni operis affectum [illegible] eo. Id jure obsequij, id lege charitatis [illegible]ductus ago, ut jubenti Apostolo, *Hebr.* 3. 13. & 10. 24. morem geram, ut piorum votis non desim, mei quantum possum oblitus, præsentibus intentus, de futuris parum sollicitus, Deo confisus, eventum ejus benedictioni committo. Ista tenuitatis meæ conditio, libertatem voluntatis & ingenuitatem affectûs vestri apud alios commendabit; nullum enim à vobis præstiti officij argumentum exstabit, nisi quod conscientia ex amore virtutis & timore Dei vobis vestra suggesserit: Privatus hic & obscurus conatus, vobis præclaram spontaneæ promptitudinis in causa Dei juvanda & publicam laudem relinquet; hanc, si prætextu externæ cujusdam missionis præoccupatus, vos accessissem, humanis respectibus tam vacuam non habuissetis. nunc apparebit, quid vos & quantum, levi oblatâ tantum occasione, motu libero in opere Evangelico præstandum judicaveritis. Ergo quod vobis consultum factu videbitur facite; me fraterno servitutis Christianæ jugo, tam vobis quam alijs mancipatum cogitate. Prodendæ pietatis vestræ vobis ansam, vindicandæ in charitatis non fictæ studio, æstimationis vestræ alijs argumentum præbere cupio. Nolite, quæso, ab externa rerum specie, sed veris indicijs judicium facere; de me nisi offendente gravius non statuite. Res initio humiles & diem parvorum nolite contemnere, rejicere, condemnare. Rem ipsam, opportunitatem rei bene gerendæ perpendite; causam hanc ex sua dignitate, non ex hominis cujusquam merito æstimate, in illa Dei voluntatem, non præconceptam difficultatem; omnium officium, non quorundam vitium spectate, Parrhesiam hanc meam boni consu-

conſiſtit, confido enim me bonam conſcientiam habere.

Ita Pacis & Charitatis DEO Vos Veſtroſq; in Evangelio labores commendo. Ille ſuo ſpiritu Veſtro cœtui præſideat; Veſtris conſilijs adſit; media ſecundet, regat, exitum ex voto fœlicem tribuat, qui ad Ejus Numinis gloriam, Evangelij propagationem, Eccleſiarum veſtrarum & aliarum ædificationem, omnium deniq; fidelium conſolationem faciat.

Amen.

***

FINIS.